ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Illustris domine,

Intellexi illustrissimum patrum patriae conscriptorum apud Britannos
legatum Joachimum nepoti ex filia suo praefectum quaerere.
Profecto non ita abjecti animi sum factus ut ambire velim quae-
vis nomen paedagogicum, sed amplum mihi atque honorificum pu-
tem fore si spei tam bonae spei tam rectae, erectae, excitatae
ingenuae indolis puero, qualem illum jam ante annos retro
complusculos ab Ephoro tum suo prolixe audivi praedicari
doctor ac manuductor admoverer. Id ut mihi perficias
qui apud Legatum potes omnia, in tua est manu, mi Mecoe-
nas. Vehementer cuperem me hujus spartae reddi,
quod eadem opera et Angliam visere daretur, de
cujus elegantijs tam multa te praedicantem audivi non se-
mel et alias deinde nationes ~~et~~ lustrare. Intelligo e-
nim illustrem puerum peregrinaturum, post moram in
Anglis non ita longam. Nihil autem mallem, me si
fata meis paterentur ducere vitam auspicijs et spon-
te mea producere, nunquam si tam praesentes alibi
cognoscere possem quam Ulyssis exemplo multorum
hominum mores et urbes intueri. Jamdudum vel alie-
nam sectari fortunam, vel fugientem meam persequi,
vel, ut sapientes, novam fabricare, quâ patet orbis
mens agitat mihi nec tristi contenta quiete est.
Comoediam vitae motoriam potius quam statariam hactenus hac
aetate juvenili ad annos aliquot quoquo modo agere in votis
habere profiteor, et in potissima habiturum parte feli-
citatis. Ecce autem de integro te obtundo indulgen-
tissime Maecenas; occido saepe rogando. Beverwe-
rde. Dominum Legatum in Hispanias destinatum, filium
vero ejus natu maximum in Gallias iturum affirma-
runt mihi qui se id certo scire arbitrantur.
quid si ergo vel filio dux comesque viae sim et
studiorum moderator, vel patri inter clientes
honesto loco adscribar? puta si sim ei ab Episto-
lis, quibus profecto ubi Belgicis ubi Latinis opus
est puto me non [redacted] Scythicè scribere Lydium
Barbarum. Sin Gallica poscerentur, darem operam
[illegible], qui jamnunc moderaverit

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 94
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4765

Verdixirem, ut priusquam in Hispaniam esset delatus heros excellentissimus in toto ministrorum exercitu nullus me uno parlaret Gallus Gallacior. Sed haec hactenus, me autem et mea omnia favori ac amori tuo constanti commendo

Perillustris domine

Alcmariae Cal. Mart. CIƆIƆCXLVIII.

tuus omni nomine ac obsequio

Bruno.

misit mihi heri Leida Ioannes quidam sine nomine, neque nota manu Laur. Therianthropologiam, quam nescio an videris. De patris valetudine si quaeris, sive adeo in re tam tristi iocari possem, dicerem me perpetuum Epithalamistam, tandem brevi geminum Epithalamium meditari debere, alterum ferale funestum Patri meo atque aquae intercuti, alterum inauspicatum militem atque [illegible] perniciae, qui lectum meum vetitum vel invito, post exequias patris invadet.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 94
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4765

Mijn Heer

Mijn Heer van Zuylichem, Ridder

Raedt en Secretaris van Syn Hoogheyt.

In 's Gravenhage

Port.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 94
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4765